



**R. P. Sebastiani Izquierdo Alcarazensis Societ. Iesv Regii
Senatvs S. Inqvisitionis Hispaniarvm Qvalificatoris, Et
Olim Complvti Sacrae Theologiae Professoris. Opvs
Theologicvm, Iuxta atque ...**

Vbi De Essentia Et Attribvtis Divinis Vbertim Dissertivr ...

Izquierdo, Sebastián

Romae, 1664

Praefatio Ad Lectorem Vbi Operis Instittvtvm, Ratio, Methodvs, & vtilitas
exhibentur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76990](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76990)

P R A E F A T I O A D L E C T O R E M

V B I

OPERIS INSTITVTVM, RATIO, METHODVS,
& vtilitas exhibentur.



V I A bona pars doctrinae tradita à nobis in Pharo Scientiarum, (ne dicam ea tota) ob suam vniuersalitatē ad huius etiam Operis pertinet institutum, vt assumptum eius, & ratio plenius, & & planius constet, bona item pars Praefationis ibi praefixae huc transferenda est. Itaque primò est supponendum, vniuersas scientias humanas ab intellectu nostro pro statu praesenti connaturaliter acquisibiles ad duas omnino reuocari, vt nemo probè scientificus distinebitur, ad Physicam scilicet, & Metaphysicam. Physicam dico, quae considerat obiectum sibi propositum quoad, an est, seu quantum ad esse, quod habet in statu existentiāli. Metaphysicam autem voco, quae suum obiectum considerat quoad, quid est, seu quantum ad esse, quod habet in statu quiditatiuo. Vnde obiectum prioris omne ens existens actu quā tale amplectitur. Obiectum verò posterioris omne ens tam impossibile, quā possibile comprehendit cum praecisione ab existentiā. Et prioris quidem principia ab experientia petuntur. Posterioris verò à connexionē, quam vnaquaque essentia de suo habet cum suis passionibus immediatis. Tum prioris est, de omni veritate, falsitateque contingente iudicium ferre; necnon de veritatibus necessarijs, quae pertinent ad existentiam Dei. Posterioris autem est, ferre iudicium de omni veritate, falsitateque necessariā distinctā à Deo; necnon de veritatibus necessarijs spectantibus ad Dei essentiam, seu quiditatem. Quae ex latè scriptis in dicta Pharo praesertim disp. 21. & 22. satis conspicua sunt.

Secundò supponendum est, sacram Theologiam, cuius subiectum, potissimumque obiectum est Deus, vt cum S. Thom. 1. p. q. 1. art. 7. docent omnes Theologi, scientiam, quamdam esse mixtam ex Physicā, & Metaphysicā, ex aliāque scientiā supernaturali, solum diuinitus à nobis, & ultra naturae debitum comparabili; quae sumpta praecise Dogmatica vocari potest, & pro principijs proprijs habet articulos fidei diuinitus nobis, atque, aded supernaturaliter reuelatos. Vnde patet, sacram Theologiam triplici generi principiorum subnixam esse, nimirum principijs physicis, principijs metaphysicis, & principijs reuelatis à Deo.

Tertiò est supponendum, principia reuelata à Deo, atque aded credibilia fide diuinā certissima esse: tamen eorum certitudo non ab euentiā, sed ab infallibilitate diuini testimonij nascatur, prout traditur à Theologis in tract. de Fide. Inter principia autem, physica, & metaphysica ea euentiora sunt, atque aded certiora, quae magis sunt vniuersalia, vt omnes scientifici consentunt: nosque in citato loco monstramus.

Quartò est supponendum, in omni scientiā humanā, atque aded in sacra Theologiā nihil aestimabilius esse vniuersalitate. Tum quia, quod obiecta sunt vniuersaliora, eò notiora nobis, atque aded certiora sunt iuxta dicta nuperrimè. Tum quia, quod vniuersalior est veritas comparata per scientiam, eò plures in se continet veritates, eoque plurium subinde valorem, aestimabilitatemque secum fert. Dixerim vniuersalissimas veritates perinde, ac nummos aureos, aut lapides pretiosos, se habere. Quorum vnum qui possidet, sub modicissimā quantitate, atque aded expeditissimā possessione possidet ingentem aceruum, nummorum inferioris metalli. Ex quo patet, quantum intersit studiosorum humanarum scientiarum, atque aded sacrae Theologiae, comparandis vniuersalissimis veritatibus rerum, subindeque vniuersalissimis earum conceptibus speculandis imprimis incumbere.

Quintò est supponendum, conceptus vniuersales, circa quos vt circa obiecta versantur scientiā humanā, atque aded sacra Theologia, obiectiuique conceptus propterea dicuntur, in duplici differentiā esse. Alij enim sunt conceptus primae intentionis. Alij secundae intentionis: Dicuntur conceptus primae intentionis, qui rebus proueniunt aliunde, quā

quàm ab actibus nostri intellectus, eisque conueniunt, vt sunt in se; quales sunt conceptus entis, conceptus animalis, conceptus rationalis, conceptus albi, & ceteri huiusmodi. Conceptus verò secundæ intentionis vocatur, qui rebus proueniunt ab actibus, quibus à nobis intelliguntur, atque adeò illis conueniunt, non vt sunt in se, sed vt obiectiue sunt in nostro intellectu; quales sunt conceptus subiecti, conceptus predicati, conceptus actus significabilis per verbum, conceptus formalitatis distinctæ ab aliâ per rationem, conceptus generis, & speciei, & ceteri huiusmodi. Esse quippe subiectum, predicatum, actum, genus, speciem, &c. denominationes sunt conuenientes rebus, prout obiectiue sunt in nostro intellectu, suamque proinde trahentes originem ab illius actibus. Porro inter conceptus vniuersales primæ intentionis pauci sunt vniuersalissimi, si cum ijs conferantur, qui minùs sunt vniuersales; quia pauci sunt, qui conueniant omnibus rebus; conceptus verò secundæ intentionis fere omnes sunt vniuersalissimi; quia nullus fere est, qui non conueniat rebus omnibus, aut certè non possit conuenire: quatenus omnes res sub quouis eorum, à nobis conceptibiles sunt. Vnde patet, quantum interfit studiosorum humanarum scientiarum, atque adeò sacræ Theologiæ hisce conceptibus secundæ intentionis perscrutandis incumbere, iuxta dicta suppositione quartâ: tum quia bona pars humanæ scientiæ ipsiusque subinde sacræ Theologiæ circa illos vt circa obiecta speculanda versantur: tum maximè quia ex non benè exploratâ, perspectâque eorum naturâ sæpissimè prouenit, vt circa conceptus primæ intentionis intellectus noster fallatur. Etenim, cum nos pro statu præsentis res cognoscamus, atque adeò illæ nobis appareant, siue represententur longè aliter, quàm sunt in se, nisi solerter, probèque sciamus discernere esse, quod illæ, prout sunt in mente nostrâ obiectiue, habent, ab esse, quod habent in sese, obnoxij valde deceptioni incedemus. Itaque eximie confert ob duos titulos prædictos ad veritates sacræ Theologiæ, atque adeò Physiçæ, & Metaphysiçæ perscrutandas, & assequendas prædictorum vniuersalissimorum conceptuum secundæ intentionis probè exploratam, perspectamque habere naturam cum suis passionibus. In idem autem recidit exploratam, perspectamque habere naturam nostrarum intellectuum cum suis passionibus, cum modo ve intelligendi cuncta, quem pro præsentis statu habemus, ac exploratam, perspectamque habere naturam dictorum conceptuum, vtpote à nostris intellectuum, à nostro ve modo intelligendi pro statu præsentis prouenientium, vt dictum est. Vnde tandem concluditur, ad veritates theologicas, atque adeò physiças, & metaphysiças perscrutandas, & assequendas eximie conferre, accuratam speculationem præmittere de naturâ nostrarum intellectuum, de modo ve intelligendi nostro pro statu præsentis. Qualem nos in prædictâ Pharo præmissimus. Præmissamque subinde modò supponimus etiam ad præsens Opus.

Sexto est supponendum, rectam docendi, tradendæve doctrinæ methodum duo potissimum postulare, vt noscuntur scientifici. Primum est, vt in omni scientiâ humanâ tradendâ à notionibus ad minùs nota procedatur: sunt autem notiora ex metaphysiçis quidem quæ magis sunt vniuersalia; ex physiçis verò, quæ magis sunt obnoxia experientiæ; post vtraque autem, quæ cum eisdem maiorem affinitatem, siue necessitudinem habent. Alterum est, vt in quacunque materiâ scientiæ, quæ tractanda assumitur, principia primo loco ponantur: deinde disponantur propositiones probandæ, siue demonstrandæ tum immediate, tum mediâtè ex principijs, iuxta ordinem, quem illæ habent maioris, aut minoris propinquitatis ad ipsa principia. Sunt autem principia in omni scientiâ definitiones terminorum, siue conceptuum obiectiuorum, ex quibus texenda scientia suscipitur, & propositiones per se notæ ex eisdem terminis, conceptibusve coalescentes: quæ propositiones, cum ad Metaphysiçam pertinent, ob amplamque vniuersalitatem suam sunt euidentes, axiomata nuncupantur, seu dignitates. De quo multa sunt dicta à nobis in Pharo citatâ præsertim disp. 2 l. 22. & 33.

Suppono septimò, principia scientiæ in triplici esse differentia. Alia enim sunt scientiæ intrinseca, alia extrinseca, alia semiextrinseca. Dicuntur principia intrinseca scientiæ tum definitiones terminorum, ex quibus textitur, siue de quibus agit scientia, tum propositiones per se notæ ex eisdem terminis coalescentes. Extrinseca, verò principia scientiæ appellantur, quæ, cum ad eius terminos non pertineant, sed ad terminos alterius scientiæ, ad eius nihilominus propositiones probandas seu demonstrandas conferunt. Etenim veritates obiectiuæ diuersarum scientiarum, seu diuersarum partium eiusdem scientiæ ita connexæ, & concatenatæ esse solent aut mutuò, aut non mutuò, vt ex pertinentibus ad vnâ iam notis, quæ ad aliam pertinent, noscendæ, seu demonstrandæ veniant aut mutuò, aut non mutuò. Quo casu propositiones vnus scientiæ siue totalis, siue partialis per principia extrinseca, vtpote pertinentia ad aliam scientiam, siue totalem, siue partialem demonstrari, seu probari dicuntur. Quando autem principia ex terminis pertinentibus ad diuersas scientias seu totales, seu partiales coalescunt, vt

†††

sæpe

sæpe euenit, tunc illa cuius earum dicuntur semiextrinseca: sæpeque fit, vt per illa non solum propositiones ex mixtione pariter terminorum talium scientiarum prouenientes probentur, sed etiam propositiones, quæ vniuscuiusque propriae sunt. Quo casu hæc per principia semiextrinseca dicuntur probari, seu demonstrari: cum illa mixta per intrinsecâ probari, seu demonstrari dicendæ sint.

Vnde pro maiori intelligentiâ propositarum conditionum, quas recta discendi methodus habere debet, tria adhuc supersunt octauo loco supponenda. Primum est, materiam vniuscuiusque scientiæ præsertim ex amplioribus sæpe esse compositam ex partibus æquè inter se notis, seu noscibilibus; quod vel æquè vniuersales, vel æquè obnoxia experientia sunt. Quo casu oprio tradentis, siue tractantis scientiam erit, vnam, vel alteram, prout sibi arriserit, anteferre, siue, prout sibi ad fines extrinsecos commodum magis fuerit, aut opportunum. Ex lege quippe methodi scientificæ dumtaxat incumbit ipsi anteferre notioem. Secundum est, tradentem, siue tractantem scientiam neutquam posse ante vnamquamque partem eius ex professo præmittere omnia principia, propositionesque per ea notas, quæ ad talis partis propositiones probandas, seu demonstrandas conferre possunt. Siquidem ita nequit præmittere principia extrinseca, propositionesque per ea notas, quæ pertinent ad alias partes scientiæ postea sequuturas, & ad probandas, seu demonstrandas propositiones partis propositæ conducunt. Solum ergo ex lege methodi scientificæ tenetur, dum vnamquamque partem tractandam aggreditur, ipsius principia intrinseca ante omnia ponere: deindeque suo ordine propositiones ex eis probandas. Quod si ad aliquam comprobendam extrinseco aliquo principio, siue propositione indigerit, citare illud, aut illam sufficere, cum pertinet ad partem scientiæ iam tractatam; cum verò ad tractandam, succincte inserere, remissa explicatione eius, aut probatione ad proprium locum. Idemque de principijs, deque propositionibus tali parti scientiæ semiextrinsecis dictum esto. Tertium est, nec posse ex professo præmittere principia, & propositiones, quæ ex terminis partis scientiæ, quæ tractanda suscipitur, & subsequentium componuntur; donec termini subsequentium ex professo suo loco explicentur: atque ita, nisi illi adeò sint noti, vt citra omnem explicationem supponi possint, quod raro eueniet, satius esse iuxta rectam docendi methodum partes subsequentes scientiæ, ad quas tales termini pertinent, expectare, & ibi tum ex illis ex professo explicatis, tum ex alijs iam antea expositis principia talibus partibus scientiæ semiextrinseca componere, propositionesque pariter semiextrinsecas ex eis probandas, seu demonstrandas suo ordine annexere.

Nonò est supponendum, mirabile sanè expertis esse, quantum intersit ad detegendas veritates humanarum scientiarum humano discursu comparabiles, cuncta, quæ tanguntur in illis, ad sua prima, & propria principia ante omnia reuocare, recensitis videlicet, & explicatis ante omnia proprijs cuiusvis partis scientiæ terminis, elicitisque ex eorum comparatione principijs, alijsque per principia notis propositionibus, quæ ad talem scientiæ partem intrinsecè pertinent, præsertim, quando eiusmodi scientiæ partes ex vniuersalibus sunt; sæpeque proinde earum termini in omnibus, aut in plerisque alijs occurrunt. Principia quippe propria, & intrinseca, propositionesque per ea nota huiusmodi partium scientiæ vniuersaliorum veluti semina quædam sunt, quæ postea in lato campo integræ scientiæ, in specialioribusque subinde partibus eius vberem segetem veritatum citra errorem progignunt. Ob id enim à scientificis talia principia, & propositiones ex illis proximè demonstrata elementa scientiæ appellantur, in magnoque pretio iure habentur, vt in elementis Geometriæ, & Arithmeticæ ab Euclide compositis, ab omnibusque celebratissimis cernere est. O vtinam Metaphisici similia elementa Primæ Philosophiæ, cui cæteræ fermè humanæ scientiæ subalternantur, in earum subsidium composuissent: fortasse in illis & plures innotuissent veritates, & pauciores irrepsissent errores.

Igitur, (his ita suppositis, quæ ex dictis in nostrâ Pharo satis sunt nota), cum in animum induxissem meum de Deo vno scholasticè, copiosèque; quo ad eius fieri possit, pro mei ingenij tenuitate tractare, operæpretium me facturum putavi, si Primæ Philosophiæ (quæ pars vniuersalior est Metaphisicæ) prima, & potissima elementa huic Operi insererem in ipsius Operis præcipuè, (quod præstantissimam, vniuersalissimamque Theologiæ scholasticæ partem continet), deindeque in residuæ Theologiæ, imo & scientiarum omnium emolumentum. Etenim ex huiusmodi elementis benè digestis, perspectisque apprimè dependet plena, clara, minùsque errori obnoxia notitia imprimis penè omnium veritatum, quæ, fide diuinâ suppositâ, circa essentiam, & attributa Dei humanitùs sciri possunt. Deinde bonâ etiam ex parte aliarum, quæ circa materiam residuæ Theologiæ, & cæterarum scientiarum pariter possunt sciri; eo nimirum quod ex eiusmodi Primæ Philosophiæ elementis tanquam ex claris quibusdam fontibus deriuandæ, & tanquam ex certis quibusdam

dam principijs, supposità diuinà fide, probandæ, seu demonstrandæ veniunt penè omnes veritates (vt modò cæteras omittam) spectantes ad partem hanc Theologiæ scholasticæ, quæ tractat de Deo vno: quædamque scientia mixtâ est ex Metaphysicâ potissimum, & Dogmaticâ iuxta suppositionem secundam.

Quocirca ordo mihi in toto hoc Opere seruandus erit, ante theologiam doctrinam, singularum partium, seu tractationum eius abstractiorem, vniuersalioremque metaphysicam eò spectantem semper præmittere, vt doctrina metaphysica suâ vniuersalitate theologice præferat lucem. e. g. Acturus de Bonitate Dei, prius de bono in genere, vt egit S. Thom. aut etiam de malo opposito agam. Et acturus de Infinitate Dei prius agam de infinitate in genere. Tum in tract. de Immenitate diuinâ disputationem præmittam vniuersalem de loco, & præsentia locali. Et in tract. de Æternitate disputationem de duratione, & tempore. Necnon in tract. de Simplicitate Dei de ente composito, & simplici in vniuersum, atque ad eò de quanto, & non quanto imprimis differam. Pariterque in reliquis tractatibus totius Operis me geram, præmittendo semper ante doctrinam theologiam cuiusvis attributi, cuiusvis ve conceptus Dei obiectiui vniuersaliorem philosophiam ad talem conceptum abstractiùs sumptum pertinentem. Quo fiet, vt & veritates diuinæ ad vnumquodque Dei attributum, siue conceptum obiectiuum spectantes luculentius notescant; & Opus hoc Philosophis iuxta, atque Theologis vtile euadat, quorum utroque etiam gratiâ scribendum assumitur. Quoniam verò in Pharo scientiarum huiuscemodi aliquas disputationes metaphysicas, quatenus ibi opus fuit, scriptas iam dedi: nimirum de Actu, & potentia in vniuersum; de Ente, essentiâ, & existentia; de Distinctione, & identitate; de Vnitate, & pluralitate, &c. inde ad eas in isto Opere me referam, (ne iam actum agam), vbi illæ ponendæ erant. Quoniam item vniuersalissima doctrina tradita in ipsâ Pharo de obiecto humanitatis cognoscibili, atque ad eò de cognitione humana ad sacram Theologiam, quàm aggredior, eximie confert iuxta dicta suppositione quinta, idcirco totum illud Opus ad hoc censendum est præsuppositum, vt dicebam ibi. Ad illudque subinde ex hoc, quoties, & qualiter opus fuerit, semper etiam me referam.

Porro disputationes metaphysicæ in utroque Opere insertæ vniuersalissimæ sunt totius Primæ Philosophiæ, quæ omnium pariter humanarum scientiarum tendentium in conceptus primæ intentionis vniuersalissima est. Earumque proinde doctrina titulo vniuersalitatis eximie eximie æstimabilis est iuxta suppositionem quartam; præsertim si quam veritatem aliàs occultam in lucem per demonstrationem producit, vt sæpe fit, sæpiùsque fieri est possibile citra omne dubium. Cum enim eiusmodi disputationum materia sit ad eò vniuersalis, multa principia habeat per se euentia, atque ita multarum propositionum ex ipsis demonstrabilium fecunda, necesse est. Quæ tamen hæcenus demonstratæ non sunt: quia Metaphysici pluribus alijs occupati, dissentique earum demonstrationi non incubuerunt; sed principiorum per se euentium, atque ad eò ab altercatione immunium, suppositione contenti in cæteris non euentibus contouertendis, & disceptandis tempus, & operam insumperunt. Quocirca persuasus sum, si ad discurrendum demonstratiuè ex euentibus principijs, aut alijs certis se applicuissent, vt fecerunt Geometriæ, & Arithmetici, fore utique, vt bonam partem demonstratiuæ Metaphysicæ iam texuissent, quo multas propositiones metaphysicas, quæ modò latent, iam demonstratas, apud omnesque subinde firmas, stabilesque haberemus, eximio profecto emolumento penè omnium aliarum scientiarum, quæ Metaphysicæ subalternantur; vt innumeras habemus geometricas, & arithmeticas pro cæteris mathematicis disciplinis Geometriæ, & Arithmeticæ subalternatis.

Propterea ego, vt initium faciam, & alijs (quo ulterius progrediantur) normam demonstrandi ex principijs metaphysicis præbeam, postquam in singulis prædictis disputationibus metaphysicis, facta terminorum ad eas spectantium diuisione, quàm fieri potest, exactè, eorum omnium idoneas explicationes, siue definitiones præmitto, quæstionem vnicam adijcio exhibentem propositiones aliquot euentes, aut aliter certas tum per se notas, tum demonstratas ex terminis iam explicatis disputationis tunc præsentis, atque etiam præcedentium inter se collatis compositas. Dico, aut aliter certas; quia interdum, in veritatis subsidium nonnullas propositiones adiungo iuxta principia fidei constantes, atque ad eò citra euentiam certas iuxta suppositionem tertiam. Propositiones autem demonstratæ principia, & alias propositiones, ex quibus demonstrantur, semper supponunt, vt scientiæ demonstratiuæ iura deposcunt. Quinimo in cæteris quæstionibus de materiâ probabili semper, quantum fieri potest, procuro, vt propositiones ex iam præcognitis probentur: id enim methodus scientifica semper estagitat iuxta dicta suppositione sexta. Quando autem ex doctrinâ postea tradendâ præsentis propositionis probationem aliquam petere, necesse est iuxta dicta suppositione septimâ, & octauâ,

succinctè, quantum commodè potest, talis doctrina præponitur, eius explicatione, probationeque remissa in suum locum, ut semper, quoad eius fieri possit, ex præcognitis procedatur.

In casibus verò, ubi notitià aliquà indigeo aliarum materiarum, quæ vel ad Opus istud non spectant, vel eiusmodi sunt, ut de eis in illo ex professo, fusè, & per otium non oportet tractare, quasdam de eis facio, præmittoque hypotheses, siue suppositiones, quibus breuiter, & summarè notitià earundem desiderata, quantum videtur satis, præbetur, citatis interim locis Auctorum, ubi ex professo & fusius traditur. Hoc enim pacto etiam, in suis scientijs demonstratiuis solent Mathematici propositiones quasdam ex alienà materià tractas, quas Lemmata vocant, ad demonstrandas proprias materiæ, de qua agunt, inferere.

Iam verò Opus istud, quemadmodum & illud, primò in Tractatus, deinde in Disputationes, ac tandem in Quæstiones diuisum procedet. Inchoabitur autem consentaneè ad præfatam methodum à Tractatu de Essentià, & Existentià Dei, deque Attributis eius in genere, Vbi, quia plerunque Deus consideratur prout cognoscibilis à nobis Viatoribus, opportunè de cognoscibilitate Dei abstractiua, seu per alienas species agetur. Deinde verò de singulis Dei attributis suo ordine sigillatim tractabitur, prout eadem ipsa præfata methodus procedendum dictauerit.

Quantum autem vtilitatis studiosis omnibus tam Philosophiæ, quam Theologiæ sit allaturum Opus istud, si tamen executio eius respondeat intentioni, prout spero, ex dictis satis superque apparet; sed longe clariùs deprehendetur, & apparebit per sedulam eius, & accuratam, & attentam lectionem. Tuumque est Lector beneuole experiri, Lege, fructu, & vale.

IOANNES PAVLVS OLIVA

Societatis Iesu Vicarius Generalis.

CVM Tomum primum Operis theologici, iuxta atque philosophici de Deo vnè à P. Sebastiano Izquierdo nostræ Societatis Sacerdote, ac Hispaniæ Assistente conscriptum aliquot eiusdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi posse probauerint, potestatem facimus, ut typis mandetur, si ijs, ad quos spectat, ita videbitur. Cuius rei gratià has litteras manu nostrâ subscriptas, sigilloque nostro munitas damus Romæ 17. Maij 1664.

Ioannes Paulus Oliva.

Imprimatur, si videbitur Reuerendis. P. M. S. P.

O. Archiep. Parracen. Vicef.

Imprimatur

Fr. Hyacinthus Libellus Sac. Pal. Apost. Promag. Ord. Præd.

INDEX